

rito servata utrimque virginitate : cumque mortua in sepulchrum deponeretur et maritus diceret : « Gratias ago Deo meo quod ei conjugem meam reddam impollutam : » ipsa de sepulchro vocem redditum : « Sile, sile vir Dei, quia non est necesse nostrum nemine interrogante aperire secretum. » Timuit nimur sapientissima virgo conjugi, ne meritum virtutis dum prodit, perderet. Denique quamobrem putatis, praecepit Elisaeus servo suo Giezi misso cum baculo ad excitandum a morte puerum, ut neminem per viam salutaret ? IV. Reg. IV. Nimur ne miraculum faciendum ulli aperiret, et ita per inanem gloriam miraculum impediretur, ut notat Theodoretus q. XVII.

II. Stulta, quia prodit animi levitatem, et ofuscatur primum virtutes aliaque heroica facta ceteroquin laude digna ; uti contingit Mario duci alias probatissimo, qui praelaris suis actis per inanem jactantiam tenebras offudit. Unde dicimus : « Propria laus sordet. » Et Cato : « Non te collaudes, nec te culpaveris ipse. Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis. »

Quare sicut majores umbræ ostendunt solem esse depressiorem, adeoque jam ineffaciorem, et contra minores umbra, solem arguant altiorum et vi majorum praeditum ; ita quo quisque magis se dilatat ostentando se et sua, tanto se viliorem et invalidiorem ostendit ; et contra. Mira res et enigmatis similis haec est, dum laudem tibi præripis, laudem perdis ; dum respuis, acquiris : nimur dum laudem tibi usurpas, alienam eam tibique indebitam esse prodis ; unde perdere mereris. Places tibi in oculis tuis ; sed si haberes oculos meos vel alterius, tibi minime placeres, dicebat quidam gloriose hujusmodi militi.

III. Odiosa, quia injuria quadam afficit audientem et quasi pro amente habet. Nam cum sapiens ridere et abominari soleat eum, qui seipsum laudat, ideo sui laudator querit sibi stultum, cui merces suas foetentes ac putridas vendere, aut saltem vaenales exponere queat. Solus enim insipiens non offenditur ; cum audit aliquem proprias decantare laudes. Unde Xenophon dicebat, eam laudem esse molestissimam, quam sibi quisque ipse tribuit, apud Plut. de sui laude, etc. Qui detrahit alii, per horam auditur et toleratur : qui vero seipsum laudat, gravis et molestus est audiens etiam per breve temporis spatium ; quam ob causam David Psal. XI. dixit : *Disperdat Dominus linguam magniloquam.* Et Sapiens Prover. c. XXVIII. *Qui se jactat et dilatat, jurgia concitat.* Intellexit hoc et Cato ille, qui interrogatus cur inter multos nobiles ipse statuam in foro non haberet ? Malo, inquit, bonos ambigere, quamobrem di non meruerim ; quam quod gravius est, cur

impetrarim mussitare ; » apud Majol. tom. II. canic. coll. I. Sapit igitur et gratus est quisquis laudem vel gloriam sibi non arrogat, tametsi eam meruit. « Nos quoque, inquit S. Chrysostomus, hom. III. in Matth. famulos habentes, tunc eos maxime comprobamus, quando cum bona gratia in omnibus obsecuti, nihil se grande arbitrantur egisse. Itaque si bona tua vis magna facere moli ea magna putare. » Sic ille.

IV. Suspecta et temeraria. Excæcati enim philautia saepe laudent, quæ laudem non merentur : et si eorum gesta in lucem protraherentur, saepe futile et inania reprehenderentur. Qui multum ostentant, plerumque parum præstant. Larus avis cum parit, multum clamorem edit, at vero tandem plumosum et pauca carnis partum edit, Pier. l. XXIII. hierogl. Ita apud Lucianum in dial. advers. indoctum. Evangelus Tarentinus in theatro fidibus certaturus cum aliis, prodit auro, purpura et gemmis insignis, cithara supra quam dici potest, aureis annulis, gemmis, picturis exornata, ita ut spectatores omnes in admirationem raperet et incredibili spe repleret ; verum aggressus ludere, personat agreste quiddam inersque et incompositum, simulque dum immodice citharam increpat, rumpit tres fides ; itaque ab omnibus derisus, a ludorum vero praefectis loris cæsus e theatro exturbatus est. Hunc secutus Eumelus quidam Eleus, pervertustam citharam afferens, cuius lignei erant clavuli, ipse vestem indutus, vix una cum ferro decem denariorum pretii. At ille et bellum edebat carmen, et rite sicut ars poscebat, chordas feriens modulabatur.

Itaque et victor abibat, præconis voce proclamatus. Quis non videt hic jactabundum hominem suis coloribus depictum ? Simile certamen fuit Goliathi et Davidis : quorum ille jactabundo ore dicebat : *Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo ? Veni ad me et dabo carnes tuas volatilibus cæti et bestiis terræ.* Thalmodista aiunt, vel fingunt potius eum dixisse : Expuam in te ut submergaris in saliva mea : aperiam os meum et glutiam te. David contra in nomine Domini confisus obviat illi cum baculo et funda prævaletque contra eum, I. Reg. XVII. *Non ergo glorietur accinctus aque ut discinctus,* ait Achab ad regem Syriæ, III Reg. XX. Exitus acta probat : nec potest quisquam secure gloriari ante ultimum illum judicii diem, qui unus omnia patefacit. « Soli Deo de se credendum est, inquit S. Hilarius, qui solus se novit. » Et I. Reg. II. *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriante;* recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, quasi dicat : ne gloriemini quasi angelorum et senum scientia polleatis ; quia Deus scientiarum Dominus est.

V. Vana et inanis. Vel enim laude indignum

est quod jactas ; et immerito gloriari ac vanus es : vel dignum ; et laus Deo potius debetur, quam tibi. Unde Apostolus I. Cor. IV. ait : *Quid habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriari quasi non acceperis ?* Nam et quod velis bene agere a Deo est ita te movente, ut libere velis. Et licet opus bonum sit laude dignum (ad Rom. II. *Gloria et honor in omnem animam operantis bonum*) vult tamen Deus ut eum honorem ab ipso expectes, velut ejus causa et fonte. Sic voluit ut Adam imponeret nomina animalibus brutis : non tamen sibi ipsi, sed ipse ei nomen imposuit ; quia vult ut alios quidem honoremus, nostrum tamen honorem, titulum et nominis celebritatem ab ipso capiamus. Deus principale agens in bonis nostris operibus est, ipse movet et excitat ad agendum, vires dat ad perficiendum, cooperatur et manum quasi ducit agentibus : *Numquid ergo gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea ? Aut exaltabitur serra contra eum a quo trahitur ?* inquit Isaías c. X. Itaque « Fratres, » inquit S. Bern. serm. XIII. in Cant. nemo vestrum velit laudari in vita ista ; quia quidquid hic favoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris. Gloria operum nostrorum anathema est Deo ; nec sine gravi sacrilegio licet aliquid de eo furari vel contingere. Scimus quam punitus sit ille Achan, qui furatus est de anathemate, Jos. VII. Quemadmodum ergo castissimus patriarcha Joseph heram suam domino reliquit illibatam, quod uxor ejus esset, Gen. XXXIX. ita nos relinquamus Deo gloriam ; ipse enim dixit : *Gloriam meam alteri non dabo.* Isa. XLVIII.

Denique observandum, quod S. Isidorus in orat. de humilitate scribit : « Qui rebus exterioris gloriatur, in iis a bestiis superantur. Magna corporis mole prædictus es ? Quæ est haec si cum elephanti mole comparetur ? Fortis es et intrepidus ? At leo longe te superat, de quo scriptum est : Leo fortissimus animalium ad nullius pavet occursum. Cantu ac vocis modulatione insignis es ? At cygnus, luscinia et plurimæ aliae vocales aves, majus miraculum in suo cantu excitant. Pulcher es ? Et pavo insigni pulchritudine præstat, et aves aliae multæ et scorta etiam pulchritudine gloriatur. Arte aliqua præstas ? Quid in hac re apibus est sapientius, quarum opera quis pictor, aut geometra possit imitari ? Tenui ac subtili veste uteris ? Hac te superant araneæ. Celeritate pedum vales ? Rurus primatum tenent lepus, caprea, etc. Acuto visu prædictus es ? Non ut caprea, ut aquila. Acute audis ? At acutius asinus. Acuto es odoratu ? Canis te superat. » Omnia haec expendit absque dubio S. Joannes, qui nihil præter vocem se reputans, respuit honorum titulos, et proinde a Christo tanto magis laudari promeruit : sciens

id Prov. XXVII. *Laudet te alienus, et non os tuum.* Idem accuratissime præstitit Christus, qui miracula sua, tametsi poterat, non tamen sibi, sed Patri adscripsit : uti Luc. VIII. *Narra quanta fecerit tibi Deus, etc.* Quos duces et magistros nostros imitemur, auditores, ut tandem ab ipso iudice nostro Christo laudari mereamur in judicio.

CONCIO VI.

DE FACILITATE ET SUAVITATE CONFESSIONIS.

1. Confessio facilis respectu expiationum aliarum nationum. — II. Respectu tribunalis mundi. — III. Respectu damnationis æternæ. — IV. Respectu vermis conscientiæ. — V. Respectu fructus.

THEMA.

Confessus est et non negavit. Joan. I.

Judicum cap. XIV. legimus Samsonem, cum descendenteret in Thammata ad desponsandam sibi uxorem, et appropinquaret vineis oppidi, obvium habuisse catulum leonis sævum et rugientem, sibi occurrentem, cuius tamen aspectu nihil perterritus Samson, irruente in se Spiritu Domini, *Dilaceravit leonem, quæsi hædum in frusta discerperet, nihil omnino habens in manu.* Postea cum ad eundem locum reversus esset, vidi examen apum et favum mellis in ore leonis, quem occiderat : acceptum igitur favum comedit in via, atque ita reperit dulcedinem, ubi minime quæsivisset in truculento animali. Existimo non paucos esse, qui ad proximam Christi Domini festivitatem desiderent quidem et ipsi uxorem sibi desporsare, Dei gratiam videlicet, suavissimam cordis humani conjugem, et opatissimum *adjutorium.* Sed vero in ipso itinere occurrit illis catulus leonis rugiens et sævus, confessio videlicet. Sic enim Jacob dixit de filio suo Juda : *Catulus leonis Juda,* Gen. XLIX. (Judas autem confessio exponitur) qui quidem multos terret, ut a cœpto itinere resiliant. Neque rationes illis desunt, quibus timiditatem suam excusent ; nam sævus est, inquietant, hic leo, quia in confessione cogor peccata mea pervestigare, eaque ipsem prodere, et me quodammodo infamem reddere ; quomodo enim mihi non creditur, si me ipsum reum profitear ? Deinde rugiens est, sicut catulus, quia rugiet contra me confessarius per increpationem et poena injunctionem. Fugiamus igitur hunc leonem sævum et rugientem, differamus confessionem usque ad aliud tempus. Quam bene de istis heroibus dixit Sapiens, Prov. XXII. *Dicit piger : Leo est foris in medio platearum, occidendum sum.* Et Prov. XXVI. *Dicit piger : Leo est in via et Leona in itineribus ?* Sed non ita Samson, quin potius audacter irruit in leonem et discerpsit eum in frusta quasi hædum : (quod faciendum in confessione, cum minuta-

tim peccata enucleantur et recensentur) et pa-
lo post invenit in eo examen apum, et favum
mellis, quo reficiebatur. Hocque ipsum expe-
riuntur, qui in confessionem audacter irruunt.
Quare in praesenti ostendam non ita saevum esse
hunc leonem, uti existimatur.

I. Remedium confessionis facile est respectu
aliorum mediorum, quibus utebantur aliae sec-
tae ad peccata sua expianda. Nam ex historiis
constat gentiles pro expiatione peccatorum suo-
rum solitos offerre quandoque proprios liberos; pro
expiatione integræ civitatis, quandoque cen-
tenos, quandoque milenos homines. Ammoni-
tæ et aliqui Judæi proprios liberos igne creman-
dos offerebant idolo Moloch : Levit. XVIII. Jer.
XXII. Psal. CV. Carthaginenses, infantes prin-
cipali honore insignes, quos sors jacta designas-
set, in regis ornatu Saturno immolabant : et
cum ab Agathocle victi essent, ad reconcilian-
dos sibi deos suos, quos iratos sibi putabant,
una vice ducentos nobilium filios mactarunt,
diisque immolarunt : Festus apud Lactant. lib.
I. de falsa relig. cap. XXI. Apud Lacedæmones
erat confessionis ritus talis, ut deprehensi in
delicto cogerentur aram circumire et compo-
tam in seipso vituperationem cantare. Plut. in
Lacon. n. CDXXII. Horribilior adhuc apud
Mexicanos ubi peregrini in bilancem impositi
protrudebantur ferreo rotarum instrumento in
altissimum præcipitum, ibique tenebantur,
donec plene confiterentur de omnibus peccatis,
cujus indicium erat, si lanx vacua æquaretur
alteri, in qua sedebat confitens (quod daemon
efficiebat) quod nisi fieri cernerent improbi sa-
crificuli, præcipitabant miserum, ut scribit ex
Josepho Acosta, auctor Germanicus, de rebus
Americæ.

Judæi vero in lege veteri pro varietate pecca-
torum suorum varia offerre et immolare pecora
debeant, modo vitulum, modo arietem, modo
agnum, modo hircum, modo capram, ut
habetur, Levit. XLV, 6. Et quidem juxta men-
suram aestimationemque peccati, ut habetur
Levit. V. et VI. ut scilicet si grave esset deli-
ctum, daretur aries melior; si leve, vilior et
minoris pretii: et proinde singuli etiam sa-
cerdotibus annuntiare peccata sua debeant,
ut dignoscere illi possent, num debita offerretur
hostia pro peccato. Quin etiam hodie Judæi in
festo expiationis una cum peccatorum suorum
confessione, loco satisfactionis plagas sibi in-
fligunt. Et hi quidem uti gentiles nihil inde lu-
erabantur: Christianis confitentibus remissio
et gratia conferunt.

Jam igitur videmus expiationem christianam
tantummodo esse leonis catulum, adhuc eden-
tulum ac ludibendum: expiations vero gen-
tilium et Judæorum fuisse quasi leones saevos.

Quid enim si cum gentilibus pro peccatis nos-
tris filios nostros et amicissimos quosque im-
molare cogeremur? Quid si in nos publicam
canere cantilenam? Quid si cum Judæis, non
solum peccata nostra prodere, sed etiam peco-
ribus nostris redimere cogeremur et nos ipsos
verberare? Evidem hoc a nobis Deus exigere
posset, idque facere paratus erat Michaës in
persona populi Israelitici, cap. VI. dicens:
*Numquid offeram ei holocausta et vitulos ani-
niculos? Numquid placari potest Dominus in
millibus arietum, aut in multis millibus hirco-
rum pinguium?* Numquid dabo primogenitum
meum pro sceleremeo, fructum ventris mei pro
peccato animæ mee? Sed quam bonus Israel
Deus! Modo enim non aliud a nobis requisi-
vit Christus quam ut offerremus ei vitulum la-
biorum nostrorum, id est peccatorum confes-
sionem, ut prædictus Oseas, c. XIV. dicens:
*Convertimini ad Dominum et dicite ei: Omnem
aufer iniquitatem, accipe bonum, et reddemus
vitulos labiorum nostrorum,* hoc est, confessio-
nem peccatorum, ut exponit S. Ambrosius epis-
tol. XXVIII. ad Theodos. Erant tunc, inquit
sacrificia pro delictis: haec sunt sacrificia pa-
nitentia. Hos vitulos mactamus, cum nos
ipsos culpamus et dolore de peccatis con-
cepto verberamus; exenteramus, cum peccata
nostra sacerdoti aperimus; excoriamus cum
per opera satisfactionis vetustam pellem exui-
mus, et novam vitæ conversationem inchoa-
mus. Utros ergo vitulos malum immolare?
Vaccarum et labiorum simul, ut Judæi?
An labiorum tantum ut Christiani?

II. Respectu tribunalis mundi, ubi scelerum
rei gravissime torquentur, donec scelera fatean-
tur, et postquam ea confessi sunt, supplicis
afficiuntur. At non ita in tribunali paenitentia;
ubi nec ad confessionem torquentur nec morte
plectuntur; sed vita donantur, modo sincere
confiteantur. Qua de re audi S. Chrysost. serm.
de poenit. et confess. et homil. III. de Ozia
et hom. VII. in act. Apostol. In externis ju-
dicis, inquit, post confessionem confusio et
poena: in divino virtus, justitia, merces et ab-
solutio. Idcirco Psalmista suspicans illud ipsum,
ne quis veritus poenam post confessionem, neget
peccata, ait Ps. CXVII. Confitemini Domino
quoniam bonus, quoniam in sæculum misericor-
dia ejus. Et propheta: Dic tu prior peccata tua
ut justificeris. Quis confunditur confiteri pecca-
ta, ut solvat peccata? Num propter hoc jubet
Deus confiteri te, ut hominum more puniat te?
Non ut puniat, sed ut ignoscat. Et hom. III. ad
pop. Antioch. Ex alienis judicibus, inquit, si
quis cui captorum, latronum, furumve diceret,
ut peccata fateretur et a poena dimitteretur,
omni certe hoc promptitudine susciperet, salutis

cupiditate pudorem contemneret. Hic vero non
id fit; sed et peccata tamen Deus dimittit, nec
ea cogit præsentibus aliis enunciare. Et hom.
III. de Ozia. In mundanis quidem ac forensibus
judicis, inquit, post accusationem et criminum
confessionem restat mors. At apud divinum tri-
bunal, post utrumque corona; si tu te ipsum
inutilem dixeris, ego te ut utilem coronabo,
etc., Et hom. VII. ad pop. Judices, ait, cum
latrones ceperint et sacrilegos, non quomodo
ipsos reddant meliores considerant, sed quomodo
ab ipsis peccatorum poenas exigant: Deus
autem contra, cum aliquem ceperit peccatorem,
non considerat quomodo sumat supplicium, sed
quomodo ipsum corrigit et meliorem faciat et
in futurum inexpugnabilem. Itaque et iudex pa-
riter et medicus et magister est. Haec ille. Quæ
sententia quem non excitent ad amplectendam
ambabus ulnis confessionem? Quis dubitat pos-
se Deum, si vellet, adhuc gravius plectere nos-
tra peccata, quam nos ipsi ea plectamus in son-
tibus? Sed ipse in suo nos tribunali absolvere
cupit, non damnare. Itaque in tribunali Dei fa-
tore tua peccata, quia ad salutem operatur con-
fessio. Cum Herodes primus duos filios suos
Alexandrum et Aristobulum apud Cæsarem in-
solentia, tentaque beneficij accusasset, ut re-
fert Josephus, l. XVI. antiq. c. VII et VIII.
Alexander versa ad ipsum patrem oratione
sic exorsus est: Pater quam benevolo sis
erga nos animo, satis declarat hoc ipsum ju-
dicium. Si enim aliquid triste de nobis statuisse-
s, nunquam ad omnium servatorem, id est,
Cæsarem nos adduxisses. Poteras enim vel pro
regia vel pro patria potestate, in sontes animad-
verttere. Cæterum adducere nos Romam, et
hunc, id est, Cæsarem, testem ac arbitrum face-
re, servare volentis argumentum est. Nemo enim
ad fana ac tempa adducit, quem velit per-
dere. Pari ratione, quam benevolo sit erga
nos animo Deus vel hoc argumento ostendit,
quod si aliquid triste de nobis statisset, nun-
quam ad omnium Servatorem Christum ejusque
vicarium, confessarium nos adduxisset. Poter-
at enim pro divina majestate in sontes animad-
verttere. Cæterum adducere nos ad confessionis
tribunal, servare volentis argumentum est.
Nemo enim ad templum dicit, quem vult per-
dere. Quando igitur tanta est tribunalis Christi
suavitas; Adeamus cum fiducia, inquit Apostolus
ad Hebr. IV. ad thronum gratiae ejus. Hoc
tribunal Christi figuratum est per illud Salomo-
nis, cui duo adstabant leones, sed fictiti tantum,
nocere non valentes. Circa tribunal mundi,
apparatores et sacrificies sunt, funes, catenæ, ca-
tastæ et tormenta alia; circa tribunal Christi,
gratia, medicina, consolatio, instructio, preces.
III. Respectu damnationis et confusionis æter-

næ. Qua de re Tertullianus I. de poenit. ait:
Si de exomologesi retractas, gehennam in
corde considera, quam ibi exomologesis extin-
guit; et poena prius magnitudinem imaginare:
ut de remedii adoptione non dubites. Et S.
Augustinus I. de visitat. infirm. c. V. ait: Melius
est coram uno aliquantulum ruboris tole-
rare, quam in die judicii coram tot millibus
hominum gravi compulsa denotatum tabescere.
Cogita ergo confessarium fore unum ex illis,
qui judicio illi intererunt: nec erubescas nunc
ei magno tuo commodo manifestare, quod tunc
aperte cognosces cum insigni adeo pudore et
contemptu tuo. Sic ille. S. Basilius in lib. de
virginit. ait, nos pictoribus esse similes, qui
dum murum pingunt, velamen sibi et picturæ
obducunt; opere vero absoluto, velum amo-
vent, et omnibus pictura patet. Ita enim nos
sub corporis velamine animas nostras pingimus,
et qui Christum in nobis depingere deberemus,
sæpe pingimus Judam, Herodem, Barabbam,
diabolum, ideoque sedulo cavemus, ne quis
picturas istas videat, nolumusque censorem et
correctorem admittere confessarium; sed tan-
dem detrahet aliquando mors velamen iustum,
et tunc non confessario tantum, sed toti omni-
no mundo clarissime patebit, quidquid in vita
pinxit. Quid igitur eligendum putas: admittere
conspectum totius mundi, an vero unius
tantum sacerdotis, qui et ipse homo et peccator
est, quique nullis poenis et censuris cogi potest,
ut aliquid de confessione prodat, ac si quid evul-
garet, gravissimis subjaceret poenis? Si hoc fe-
cerit, inquit, S. Gregorius Mag. de poenit. d.
VII. c. Sacerdos, deponatur et omnibus diebus
vite sua ignominiosus peregrinando pergit. Et
in magno concilio Lateranensi dicitur: Si sacer-
dos sigillum confessionis violaverit, deponatur et
ad perpetuam paenitentiam in arcto monasterio pe-
ragandam concludatur. Nec timendum ne etiam
confessarius facile recordetur peccatorum tuo-
rum, quia plurimas audit confessiones. Unde
de eis dicitur: Peccata populi mei comedent.
Osea cap. IV. Si autem rogarer quid ante sex,
vel novem dies comediderim, jam non possem
amplius dicere; sic evenit confessarii. Quod
comeditur, absconditur, aboletur, digeritur;
sic peccata in confessione audit. Quando igitur
hic peccata aperimus, ea abscondentur, et teget
illa Deus, quia non recordabitur amplius. Ta-
meti enim in judicio apparitura sunt etiam pec-
cata electorum, apparebunt tamen ad gloriam
eorum non ad confusionem. Peritus acupictor
rupturam vestis ita belle resarcit, ejus loco gem-
mam vel florem inserendo, ut vesti decorem
potius afferat quam deformitatem. Sic vulnera
justorum apparebunt in judicio bellissime re-
sarta a cœlesti acupictore Christo, per gratiam

illius, ut splendorem potius illis quam ignominiam allatura sint. Id quod etiam in praesenti cernimus, dum scimus, legimus et audimus multa sanctorum peccata, quae hic expiarunt, propter quae eos nequaquam vilipendimus, sed potius laudamus et admiramur. Contra vero si hic texerimus peccata nostra, ea tunc coram toto mundo aperientur, imo nos ipsi, compellente conscientia, aperire et confiteri cogemur, sed sine fructu, imo ad majorem nostram damnationem. Atque ita fiet, quod prædictus Amos cap. V. *Væ desiderantibus diem Domini : ad quid eam vobis ? Dies Domini ista, tenebrae et non lux. Quomodo si fugiat vir a facie leonis, et occurrat ei ursus.* Vult dicere, qui hic fugit Deum parcentem, ibi inveniet saevientem. Sed nonne leo crudelior et horribilior estruso ? Nequaquam ; quia leo prostratis parcit, ursus vero in jacentes acrius saevit. Audi Ovidium. l. III. de tristib. eleg. V.

Corpo magnanimo satis est prostrasse leoni : Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet : Ast lupus et turpes instant morientibus ursi. Et quæcumque minor nobilitate fera est.

Modo igitur Deus quasi leo est, quia prostratis ante pedes suos, (qui sunt confessarii) parcit, ignoscit et peccata tegit. Ibi vero occurret eis *Quasi ursa rapitis catulis*, uti prædictum per Oseam cap. XIII. et tunc prostratis et confitentibus non modo non parcet, sed magis in eos saeviet, eorumque scelera coram toto mundo puniet. Elige igitur nunc quem obvium tibi malis, ursam an leonem ? Elige quod vis : « Si non confessus lateas, inquit Augustinus in comment. in Ps. inconfessus damnaberis. » Quid non faciunt aliqui incarcerati cum sciunt se convictos et suppicio afficiendos, ut publicam illam confusionem effugiant ? Aliqui in carcere sibi necem inferunt: alii mira excogitant quomodo sibi funes faciant, quibus demittere se possint: alii altissimis e locis desilunt, et crura frangunt: alii per arctissimas fenestellas intorquent ut effugiant. Et quid confusio ista cum illa universalis ?

IV. Respectu pœnæ et tormenti, quod sustinet peccator a verme conscientiae et propriis peccatis : de his enim Ecclesiasticus cap. XXI. dixit : *Quasi a facie colubri fuge peccata : et si accesseris ad illa, suscipient te, id est, tractabunt te ut leones, ait ibi Emmanuel Sa. Nam subjungitur : Dentes leonis, dentes ejus, interficienes animas hominum.* Remorsus igitur conscientiae morsus sunt leonis. Ad hæc sicut leo metuit res minime metuendas uti rotarum orbes circumactos currusque inanes, et gallinaceorum cristas cantumque, quasi urgente parricidii remorsu, quod dum nascitur, matris ventrem dispergit, ut scribit Plinius, vulgo ita creditum l. VIII. cap. XVI. *Sic cum sit timida nequitia, dat testimo-*

nium condemnationi : semper enim præsumit saeva perturbata conscientia, ait Sapiens Sapient. XVII. Terrebit eos sonitus folii volantes, ait Deus Levit. XXVI. et ita fugient quasi gladium, cadent nullo persequente, etc. Cujus rei testis est experientia. Hinc enim semper pavent, et nullibi consistere possunt, uti Cain; alii sibimet necem inferunt, uti Judas; alii aculeos sufferre scelerum, cum nequeant ipsimet ea produnt, uti Antiochus et Creusa apud Euripidem in Ione, qui ut flagellantis conscientiae stimulus leniret, detexit occultum stuprum suum. Nec dubium quin, eadem perurgent, venerint ad Joannem in desertum peccatores confitentes peccata sua, Marci XI. Quis enim, quæso, eos ad hanc confessionem adegit ? Non lex scripta, neque Joannes, sed accusatrix utique et lacinatrix conscientia.

Ex quibus patet cor peccatoris esse quasi speluncam leonum, rugitu suo totum cubile cordis concutientium. Ejusmodi habitationem nactus aliquando erat Malchus monachus fugitivus, ut scribit in vita illius sanctus Hieronymus. Cum enim postquam monasterio deserto, captus in servitatem ductus esset ab Ismaelitis et ab hero profugisset, ipso inseguente territus speluncam subiit. Unde cum egredi jubetur etiamjam extrahendus esset, leæna prodiit, qua intrantem heri servum occidit, et mox deinde alterum. Unde adhuc magis sibi timere Malchus coepit, cum se apud leones divertisse sensit. Mox tamen, ubi leæna visam se esse sentiens, catulum suum extulit et speluncam deseruit, recreatus est Malchus et incolumis evasit. Ejusmodi hospitium et cubile est peccatoris cor. Foris expectat eum Dei, a quo profugit, gladius : querunt extrahere e corpore animam dæmones : intus angit peccatorum conscientia velut leæna, quæ nisi catulos suos efferat per confessionem, quietem nullam dabit. Quid igitur non libenter facere debet homo, ut tam malos fugiat hospites ? Quis non malit occurrere unicatu leonis, quam leonibus et leænis cohabitare ? Hos autem fugies per confessionem. Unde sponsus ad sponsam ait Cantic. IV. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis de cubilibus leonum, de montibus pardorum ; persequentium scilicet te.* Addit vero *Veni coronaberis*; quia per confessionem coronatur homo divina gratia, spirituale gaudium afferente.

V. Ingens fructus, qui per eam comparatur; sanitas videlicet animæ et gaudium cordis, quod esse potest argumentum suavitatis confessionis. Et hoc designat mel, quod habuit in ore catulus leonis, quem occiderat Samson. Quid enim hoc mel aliud, nisi suavissimum illud verbum confessarii : *Ego te absolvo ? Pe-*

rinde enim est, ac si dicat : Dono tibi omnia debita, quæ apud Deum contraxisti : aufero tibi omnes catenas, quibus in carcere diaboli ligatus tenebaris, et aperio tibi carcerem ut libere abeas : sano tibi omnes infirmitates tuas : deleo te de libro mortis, et inscribo te in librum vitae : surge et abi, *Omne debitum dimisi tibi : surge velociter, et discede, Quia ceciderant catenæ de manibus tuis. Surge, tolle grabatum tuum, et ambula, etc.* O mel suave ! Quam dulce putatis fuisse verbum illud Domini in aure leprosi : *Volo, mundare ? Et illud in aure paralytici : Confide fili, remittuntur tibi peccata ?* Et illud in aure adulteræ : *Nec ego te condemnabo ?* Totum hoc comprehenditur illa voce : *Ego te absolvo.* O vocem melleam e cœlo delapsam ! Verius enim quam populus ille blandiens Herodi concionanti : Actor. XII. exclamare possumus : *Dei voces et non hominis.* Quam multi non dico homines, sed populi existunt, qui bujus virtutem vocis vel miseri non intelligent, vel si intelligent, habere non possunt ? Et si hoc scirent, quod nos per fidem scimus, quid non agerent, quantum iter non susciperent, ut hanc audire vocem possent ? Unde cum languido illo, Joan. V. vere dicere possunt : *Hominem non habeo, ut mittat me in piscinam.* Quid enim medica illa piscina designavit, nisi sacramentum penitentiae quod a magno illo consilii angelo, de celo ad nos delapsa, vim accepit abluendi quævis sceleræ ? Sed hominem non habent quam plurimi peccatores; non habent confessarios, a quibus mittantur in hanc piscinam. Atqui nos an queso dicere possumus : *Hominem non habeo ?* Ecce hic et ibi et ubique expectant nos ejusmodi homines. Neque semel in anno tantum prostat haec medicina sed quotidie; et habemus quotidie homines, qui mittant nos in piscinam. Sed eo nunc res devenit, ut e converso confessarii dicere debeat : *Hominem non habeo, quem mittam in piscinam.* Sudent confessarii in templo multis sepe horis, sed homines non habent, quos mittant in piscinam. Quæ tandem bujus rei causa, cum pro sanitati corporali recuperanda in piscina probatica tantus fuerit populi concursus, ut languidus ille per triginta et octo annos ibi jacens, non potuerit in aquam primus descendere, ut qui solus sanabatur ? Num quia non credimus tantam esse vim confessionis ? Et vñ nobis : quo enim alio remedio a peccatis liberabimur ? Quam habemus fidem, si istam non habemus ? Num forte, quia hoc lavaero minime egemus ? Et rursum vñ nobis : tunc enim multo maxime ægrotamus, cum ægrotos nos esse nescimus, et nos ipsos mendacii pane pascimus, qui tamen postea in ore nostro fiet calculus, juxta id Prov. XX. *Suavis est homini panis mendacii, et postea im-*

plebitur os ejus calculo. Qui enim nunc negligunt confiteri, quasi non indigent, aliquando volent, et non poterunt; et tunc fel et absinthium invenient in ore. Aggregiamur itaque animose hunc catulum, dilaceremus et in frusta disperpamus : erit enim, cum regressi de confessionis tribunal reperiemus in illius ore mel divinæ consolationis, gratiæ et laudis, quale in figura contulit Jacob filio suo Judæ, Genes. XLIX. *Juda (o confessio) te laudabunt fratres tui ; omnes scilicet electi.* S. Augustinus in sentent. tom. III. sent. CCXL. ait : *Apud misericordiam Dei plurimum valet confessio pœnitentis, qua facit peccator confitendo propitium, quem negando non facit nescium. • Refert Dietmarus et ex eo Baronius anno 1015. Alemaniæ ducem Ernestum Leopoldi filium, cum in venatione fuisse sagitta transfixus, neque sacerdotis, cui confiteretur, esset copia, publice coram militibus aulicisque suis omnibus confessum esse atque Wirceburgi juxta patrem sepultum. De quo subdit citatus Dietmarus : « Hic juvenis, ut spero felicem habet animam, cui placuit hic coram multis erubescere, quam coram omnipotenti Deo latere. » Non timuit hic princeps coram subditis suis publice confiteri, quo mel remissionis apud Deum inveniret : quid timemus nos confiteri sacerdoti, etc.*

CONCIO VII.

DEFECTUS CONFESSIONIS.

- I. Confessio quæ in genere tantum facta. — II. Sine circumstantiis. — III. Non integra. — IV. De levioribus tautum se accusans. — V. Extorta. — VI. Hypocrita.

THEMA.

Quid dicas de teipso ? Joan. I.

Legatio hodierni Evangelii a concilio Judæorum ad Joannem missa, non absimilis est ei, quam ablegat Christus ad fideles, cum mittat eis sacerdotes, qui illorum conscientias explorent ac dicant unicuique : *Tu quis es ? Et quid dicas de teipso ?* Pertinebat ad Judæorum pontificem et seniores scire, quid hic vel ille ageret in re religionis, ac proinde etiam cur Joannes baptizaret, novum introducendo ritum, idcirco non tergiversatur Joannes, sed respondet id, quod res erat; confitetur et non negat. Pertinet etiam, ac multo magis, ad Deum mundi gubernatorem, quid nostrum quilibet actitet. Sacerdotes et levitæ responsum de Joanne ferre debebant concilio; similiter confessarii respondere Deo debent de suis confessantibus. Mittit igitur ad nos legatos suos, non judices aut apparitores, qui terroribus et tormentis veritatem a nobis extorqueant, sed sacerdotes, qui, si eis fideliter et sincere statum nostrum exponamus, confitemur et non negemus, dimittant quod pecca-